Monita privata Societatis Jesu

Notibergae (sic) anno (sic) 1615

per Zahorowski

MONITA PRIVATA SOCIETATIS IESV.

NOTIBERGÆ ANNO 1615.

I.

Qualem se Societas præstare debet, cùm de nouo accipit loci alicuius fundationem?

VT se gratam et acceptam præbeat incolis loci, quem non ita pridem suscepit, multùm ad hoc conducet, explicatio finis Societatis, præscriptus in regulâ secunda summarij; incumbere in salutem proximi æquè ac suam: quare humilia obsequia obeunda, in xenodochijs, et fundijacentes invisendi, ad confeßiones excipiendas quorumcunque et ad loca distantia eundum, ælemosinæ conquirendæ, dandæq; pauperibus alijs videntibus ut ædificati facto nostrorum, sint in nos liberaliores: Modestiam exteriorem ita omnes ediscant, ut illa alios ædificent, delinquentes è nostris, vel ob id dimittantur.

II.

Quid facto opus est, ut Principum & Magnatum intimâ familiaritate potiamur?

COnatus ad id maximi sunt adhibendi. Experientia docuit, Principes tunc affici Spiritualibus, et Ecclesiasticis personis, quando odiosa facta eorum, non asperè reprehenduntur, sed in meliorem partem explicantur. Cernitur id in matrimonijs contrahendis Principum cum sibi affinib⁹: Quæ matrimonia magnam habent difficultatem ob vulgi opinionem, quod tales execratur thoros. Itaq; dum hæc et simi-

lia

lia affectant Principes animandi sunt, assecuturos eos quod volunt, explicentur rationes, quæ illorum desiderium augeant, videlicet matrimonium hoc fore causam maioris vinculi, et gloriæ Dei. Sic dum Princeps aggreditur aliquid faciendum, non æquè omnibus dynastis gratum, v. g. si bellum movere vult, tunc eius voluntas iuvanda, et constantiæ monendus promovendusq; animus, primoribus Regni insinuent persuadeantq; principis voluntati parcendum esse, non tamen ad particularia descendant, ne nobis imputetur, si tamen obijciatur, citentur generalia monita, id nobis perhibentia. Iuvabit ad contrahendam familiaritatem, principum obire legationes in materiis ipsis gratis. Permunuscula vincendi intimi Principum, ut fideliter instruant, nostros de moribus et humoribus principis, quibus rebus oblectetur, quis sit sibi modus placendi (saluo tamen iure virtutis et conscientiæ) et occasione habita insinuent se in animos Magnatum et Principum, si careant uxoribus, proponantur illis virgines in matrimonium, quæ cum suis parentibus nostris sunt addictæ, ijsq; virgines depingantur laudum coloribus, quibus eas depingi vellent ipsimet Principes. Sic enim fiet, ut per uxores, aliàs alienos, nobis amicos reddamus; Docuit id experientia per domum Austriacam in Regnis Poloniæ, Galliæ, cæterisque ducatibus et ditionibus. Fœminæ ne mutent animos, aut de suo favore in nos remittant, seriò illis inculcetur amor in nostram Societatem, tum per nostros, tum per eas famulas, quæ nostris sunt addictæ, quæ varijs officijs et munusculis in amicitia conserventur: Sic enim secretiora suæ Dominæ et ea quæ nostros scire oportebit, evulgabunt. Sequantur in conscientijs Magnatum regen-

dis

dis earum authorum sententias, quæ liberiorem faciunt conscientiam, contra Monachorum opiniones, ut illis reie- ctis nostros sequantur, et à nostra directione et consilijs de- pendeant. Quare tam ad Principes et Magnates, quàm prælatos conciliandos iuvabit eos facere participes, merito- rum nostri ordinis, habere amplas facultates absolvendi à peccatis, reseruatis et censuris dispensandi in ieiunijs, de- bito reddendo, matrimonij impedimentis et alijs votis invi- tentur ad scholas nostras, salutentur carminibus, inscriban- tur illis theses: si expedit in triclinio tractentur, et si quali- tas personæ exposcat, varijs linguis salutetur tempore men- sæ à nostris fratribus, inimicitias inter Magnates compo- nant. Quod si Monarchæ nobis addicto subseruiat vir ali- us primarius à nobis alienus, promittatur ei favor et hono- res conferendi ad nostrorum instantiam, denique ita Socie- tati curent affectos esse Principes et magnos dominos tum prælatos, ut pro ea contra affines et sibi caros agant, nec dimissos à Societate ullo modo promoueant. Deferendos ho- nores primatibus ominentur, delatos gratulentur, libellis carminum per studiosos, in primo ingressu loci ubi exercen- da, erit iurisdictio.

III.

Quid curabunt Domini pro nobis, dum pecunia de- stituuntur, multæ tamen sunt authoritatis in Repub. & aliis modis nobis prodesse possunt?

Tales Domini si seculares sint, curanda apud ipsos gratia et auxilium contra adversarios nostros, fauor ad lites foren-

 ses

ses authoritas et potentia, ad coemptiones pagorum, domorum, hortorum, lapidearumq; pro exstruendis societati nostræ domicilijs in illis præsertim civitatibus, quæ nostros nolunt habere. Fidem Domini conciliandi, ut mitigent imò compescant furorem hominum notæ inferioris nobis nihil cooperantibus. A Spiritualibus verò ut Episcopis Archiepiscopis pro diuersitate nationum id exigendum, quod rei opportunitas ostendet. In quibusdam partibus curandum est ut prælati et Parochi ipsis subditi nostros revereantur, nec impediant ministeria nostra: in alijs partibus plus: Nam in Germania Polonia magna est authoritas Episcoporum, qui paruo labore collata re cum Principe Monasteria, parecias, Præposituras, altarium fundationes; nobis possunt attribuere contentatione quacunq; facta Sacerdotib⁹ secularib⁹: quod in ijs locis assequi possumus, vbi Catholicis Hæretici et Schismatici sunt permixti, ostẽdaturq; Episcopis, magnum fructum eos hac ratione facturos, quem a sæcularibus sacerdotib⁹ & Monachis præter tantum expectare non possunt: laudetur zelus eorum, inculcetur facti memoria perpetua. Tales autẽ fundationes ut Societas succedat in beneficia sæcularium sacerdotum per eos Episcopos assequentur facilè, qui et confitentur nostris et a directione nostra pendent, et sunt in expectatione ad altiores gradus Episcopatus opulentioris mediantibus nostris. Tam autem apud Episcopos, quam Principes curent nostri, ut dum fundant nostra collegia ad Parochiales Ecclesias nostri quoq; soli sint, qui habeant ius conferendi vicarium perpetuum cum cura animarum, ipse superior loci pro tempore existens, erit Parochus, totumq; regimen Ecclesiæ nostrorum sit. Per eosdem curabunt exstructiones Collegiorum in locis, ubi sunt Acade-

cade-

cademici, nobis repugnantes, vel Catholici aut Hæretici ciues, fundationes nobis in suis Civitatibus prohibentes. Illi ijdem curabunt pro nobis Cathedras concionatorias in ciuitatum nobiliorum præcipuis Ecclesijs. Si quando agitur de Beatificando aut Canonizando nostro, magnatum literis promovendum erit negotium apud sedem Apostolicam. Si ex ijsdem Dominis contingat legationem obire, ne cognitis alijs religiosis, qui nobiscum symbolizant, ad eos affectum transferant, et in eas provincias inducant, in quibus emanemus. Quare si transeant Viri Illustres per Provincias, vbi sunt nostri, excipiantur ad collegia, et pro modestia religiosa tractentur.

IIII.

Quæ commendata esse debent Concionatoribus Confessariisque Principum & Magnatum?

Vt directiones Regum Principum Virorumq; Illustrium rectè per nostros instituantur, omni modo ita eos dirigant, ut sua directio tendere videatur ad conscientiam, quam ipsi Principes concredunt, non statim autem, sed sensim spectare debet directio ad gubernationem Politicam externam. Quare sæpè inculcent Principibus distributionem bonorum et Dignitatum in Repub. spectare ad Iustitiam, grauiterq; Deum offendi, si contra eam à Principibus peccetur: se tamen nolle ingerere in ullam administrationem Reip. et hæc se invitos dicere ratione sui officij. Quod ubi apprehenderint principes explicetur ipsis, quibus virtutibus præditi esse debent viri assumendi ad Dignitates Reipub. commendationis capita sumantur ex amicis Societatis nostræ, et ijs viris, quos expedit pro bono Societatis promovere, quos per se non nominent Principi, sed per intimos amicos Societatis nostræ

et

& Principis. Quare Confessionarij et Concionatores informentur a nostris, qui in quauis parte illius Domini sint viri, qua virtute, potentiâ, diuitijs, liberalitate in nos, horum nomina apud se habeant, notitiamq; eorundem faciant Principi, dextrè eos commendando vt facilius oblata occasione promoueantur à Principibus, illi quos olim sibi laudari à suis Confessarijs et Concionatoribus audierant meminerint Confessarij et Concionatores Principum suauiter eos tractare nulla ratione perstringere in concionibus aut priuatis colloquijs, confectiones, aquas distillatas modicè acceptent pro vsu priuato parua pecunia sint contenti. Dum sunt in Palatijs ad abiectiora se cubicula conferant. Prudenter inculcent suis Principibus, ne vel ato vngue discedant à consilio spiritualium Patrum. Curent sibi significari quam primum officialium Reipub. mortem et de substituendis maturè agant. Vt suspicione se eximant externi Regiminis nec amicorum causas apud Principes promoueant per se, alijs potius committent.

V.

Quid agendũ cum Religiosis qui simbolizando nobiscũ in multis occupationibus multum nobis detrahunt?

Genus humanum nobis animosè ferendum: Proinde inculcandum hominibus, nostrum Ordinem omnium Religionum habere perfectionem, et in quo aliæ Religiones excellunt, in eo eminentiore modo Societatem lucere in Ecclesia Dei, præter cantum & victus asperitatem, quibus discrepamus à Monachis, omnia in Societate melius haberi, ipsa etiam subiecta. Notentur defectus ex quibus ostendatur, minus feliciter alios Religiosos satisfacere posse, illi occupationi

in

in qua concurrunt nobiscum. Maiore conatu eundem est contra illos religiosos, qui scholas erudiendæ Iuuentuti instituere vellent in locis, vbi id cum Dignitate et fructu Societas nostra obiit. Ostendatur Principibus, tales homines fore perturbationi Reipub. Proponatur Academicis externis illos Religiosos magis, quàm nos ipsis in ruinam: suggerant Principibus sufficere Societatem erudiendæ iuuentuti. Quod si literas Pontificum pro se habeant, aut Cardinalium commendationes, agant per Principes apud Pontificem, cui ostendatur, Societatem benè fungi suo munere, procurabunt testimonia a Ciuitatibus, in quibus sua Collegia habeant, bonæ suæ conuersationis. His etiam diligenter persuadendum erit timendas perturbationes accessu diuersarum scholarum et Præceptorum, esto Religiosi sint. Interim nostri pro viribus curent studia exerceri et specimina edi cum applausu aliorum.

VI.

De conciliandis viduis opulentis Societati.

Deligantur ad hoc opus pro rectæ ætatis Patres, colore viuido: visitentur crebrius eædem a nostris. Quæ affectum ostenderit in Societatem, vicissim Societatis nostræ opera ei offeratur, si acceptat, cæperitq; frequentare nostras Ecclesias, detur ei talis Confessarius, qui eam benè dirigat, et constantem in viduitate seruanda faciat, enumerando bona viduitatis, quibus meritum amplum sit obtentura vt res tota melius illi cedat, comitatus famulorum diminuendus suadeatur, ordinentur officiales, aulæ et præfecti bonorum; præscribantur, quæ spectant ad gubernationem domus, habita ratione loci et personæ. Imprimis autem efficiat Confessarius, vt eius consilijs acquiescat vidua, & directionem

sequatur,

sequatur, tanquam fundamentum futuri boni Spiritualis: preponatur usus sacramentorum frequens, auditus sacri, recitatio Lytaniarum, exhortationes sint bis vel ter in hebdomadam, de bono viduitatis, de molestijs matrimonij iterati, periculis noviuq; grauaminibus eiusdem. Facetem proponat viros nobiles, quorum illa vidua, cum qua agitur, non abnueret connubium, ijdemq; viri ita describantur, declarando mores et vitia ipsorum, ut audiendo vidua nec cogitationem assumat de matrimonio. Proinde cùm sint ita affectæ erga viduitatis statum quamprimum eis commendentur vota religiosa, ut emisso voto castitatis omnem sibi aditum præcludant ad secundas nuptias, quo tempore maximè suadendum, ut ex aula abigantur iuvenes liberiores in iocis, pauci admittantur hospites, in ijsq; tractandis, sit mediocritas. Præfecti pagorum sacellani, alijq; officiales tales sint, qui aut ex nostrorum commendatione habeantur, aut a nostrorum nutu dependeant. Huc ubi progressum fuerit, paulatim ad bona opera inducenda erit vidua, quæ tamen præstabit ex directione patris sui Spiritualis.

VII.

Quis modus conseruandi viduas in viduitate & de dispositione redituum quos habet?

Si præter communem affectum testetur vidua clenodijs, aut pecuniæ non modica summa suam in Societatem liberalitatem, fiat particeps meritorum Societatis nostræ, si emisit votum castitatis, renouet illud more nostro bis, in annum exponatur ordo nostræ Societatis domesticus, qui si placuerit, præscribatur pro aula, indicentur confessiones menstruæ, tum pro festis Christi Domini B. V. et Apostolorum constituantur

stuantur syndici inter mares et fœminas, qui defectus notent inter aulicos et famulos, referantq; Magnificæ, interdicantur nutus, susurri, clandestina colloquia, delinquentes severè castigentur: Sin in aula honestæ puellæ, quæ varia ornamenta conficiendo pro templis se in pietate exerceant, supra se habeant manuductricem, quæ laborantibus attendat, & mores edoceat: visitentur viduæ crebro & iucundis colloquijs, spiritualibus tamen, conserventur & foueantur, non tractetur rigide cum ipsis in Confessionibus, nisi tunc, cum minor est spes aliquid ab eis accipiendi. Proderit quoq; ad conservandas viduas, si pleraq; fiant in gratiam viduarum, ut ingressus in ædes nostras, colloquia quando et cum quibus placet è nostris. Non permittantur frigoribus domo exire, aut cum se deterius habere sentiunt. Nuptiæ filiarum exornentur carminibus studiosorum externorum, si exequiæ peragendæ sunt, ornatus lugubris licet splendidus tamen adhibeatur, catafalci, non sit vulgaris structura: Demum quicquid fieri potest ad viduarum sensualitatem (modo sint liberales et addictæ intimè Societati) fiat, cautè tamen et secluso scandalo. Agendo de dispositione redituum, quos habent viduæ, proponatur ipsis illa perfectio laudata status hominum sanctorum, quando neglectis amicis sua bona in Iesu Christi pauperes erogant, adducantur exempla viduarum quæ hac ratione brevi in sanctas evaserunt. Quare dum se viduæ in nostras manus resignant, paratæ sequi directionem Patris spiritualis seriò inculcetur, ut maioris meriti sint illarum actiones coram Deo, ne religiosis quidem personis dent Eleemosinas, inscio Confessario, sed adnotatis ijs quæ se daturas alicui decreverunt, schedulam exhibeant Confessario,

qui detrahere aut addere potest, prout videbitur. Caveant Confessarij frequentem aditum aliorum religiosorum ad viduas, ne post se fœminas natura inconstantes abducant. Dum multa est pecunia ex bonis collecta, ne hinc moveantur viduæ ad secundas nuptias. Proponant Confessarij, imò suadeant, ordinarias pensiones, quibus sublevent necessitates singulis annis nostrorum Collegiorum & domorum professarum, præcipuè domos professæ Romanæ, eandem pecuniam impendere poßunt in casulas & paramenta templi, quæ pro nostris sacris ædibus servire poßunt. Post mortem viduæ exponantur defectus Ecclesiarum nostrarum coram viduis, structuræ imperfectæ Collegij, inducantur ad sumptus faciendos, pro rebus perpetuam eis gloriam conciliaturis, ut sunt templa, cibaria ædificia, quæ consultò citò perficiantur, ut habeant, in quod suam liberalitatem poßint exercere: id ipsum faciendum cum benefactoribus et Principibus, qui nobis aliquid sumptuosè exstruunt, si clenodia sint, suadeatur æternitati ea conseruanda, si dentur a viduis ad sepulchra nostrorum Beatorum Romam. Comprobetur id exemplis aliarum matronarum, quæ id præstiterunt. His de causis ostendetur, illas summam perfectionem aßecuturas, dum rerum terrenarum amore se exuendo, earum Christum Dominum in seruis Societatis suæ poßeßorem instituerint. Quod si filios et filias Dei obsequio dicare voluerint, non est liberalitas eorum spernenda accipiendo, quæ offerrentur, parcius tamen ab ijs viduis accipiendum, quæ filios & filias ad seculum dirigunt.

VIII.

De Remediis, ut filii & filię nostrarum deuotarum religiosum amplectantur statum.

Suavi-

Suaviter et fortiter, id matri viduæ peragendum. Filiabus molesta sit virgu, minis, abstinentijs, asperius tractando, denegando, ornatum muliebrem exquisitum, pollicendo maiorem dotem si velit esse Monialis, exaggeret futuri mariti furores gravamina matrimonij, præ se ferat mater ipsa dolorem se non fuisse Monialem. Demum ita agat contra filias, ut tædio victæ manendi apud matrem aspirent ad monasterium. Cum filijs conversentur nostri familiariter, accipiantur ad Collegia, in quibus illa ostendantur ipsis, quæ moveant ad ingrediendum, nostram Societatem, ut sunt horti vicini Collegiis, in quibus fiunt recreationes, in refectorijs ostendatur mundicies, & exterior conuersatio inter nostros, munuscula, faceta colloquia, ad spiritum tamen non omittantur. Sint penes tales viduarum filios instructores amicissimi nobis, immò futuri de nostris. Subtrahet mater filijs necessaria ad tempus modicum, exponat intricata negotia ex parte honorum, si ad alias provincias iverint studiorum causa, ita illos mater non delicatè tractet pecunia, ut tædio victi, in exteris nationibus Religionem ingredi seriò meditentur.

IX.

De Reditibus augendis Collegiorum.

Seriò inculcetur Confessarijs Principum Magnatum & matronarum, ut dum spirituualia illis conferunt, temporalia pro bono communi Societatis ab eisdem recipiant. Quo circa non omittant occasiones acceptandi dum aliquid effertur, & si differatur in memoriam revocent, nimium affectum minime præ se ferendo. Qui ex Confessarijs minus industrij in hac re erunt, tanquam bono communi minus affecti,

 amove-

amoveantur à Principibus, domiq; exagitentur. Magno dolore audiuimus iuvenes viduas morte immatura præventas culpa nostrorum supellectilem templi multum preciosam nostris non legasse, neque acceptasse dum superstites viduæ offerrent, cum ad talia acquirenda non tempus sed voluntas offerentis spectari debet. Adeant civium domos aulas nobilium, nec non viduarum, ex quibus omnibus perquirant prudenter, num pro animæ suæ bono, vel ipsi vel eorum amici aut affines Ecclesiis aliquid sint legaturi. Idem perquirendum à Parochis & Prælatis, qui prius inducantur ad officia Spiritualia facienda, quo tempore multa nostri possunt lucrari: apud hos omnes audeant captare benevolentiam, explicando gratitudinem Societatis, et fidelem executionem ratione locorum, quo accipiunt à benefactoribus secus quàm alij seculares, Sacerdotes & Monachi. Habeant notitiam hortorum lapidearum vinearum, civitatum, in quibus resident, pagorum, prædiorum, à quibus possessoribus, quibus contractibus, cum quibus grauaminibus teneantur, et num illa bona vel per contractus vel receptionem filiorum in Societatem aut donationem habere possint, experiantur. Devotis et devotabus Societatis nostræ quandoq; bona sua Collegia vendant, cum pacto quod post breve tempus Societas gratis eadem sit ab ipsis receptura. Si viduas addictas contingat habere tantum filias, eas dirigant ad religionem monialium, dote quacunq; eis datâ. Cætera vti pagos Clenodia totamq; possessionem nostri facile lucrabuntur. Si autem tantum vnum filium aut plures vidua Societati nostræ amica habuerit, nullaq; sit spes filios sive filium fore in Societate indicetur matri, sufficere, si integras possessiones filijs vel filio relinquat

ad collectam pecuniæ summam et suam propriam dotem posse legare Societati. Accedit viduas esse unius aut alterius pagi ad pietatem propensas Societatis studiosissimas, hæ inducantur ad inscribenda bona nostris Collegiis, ipsæ interim contentæ sint, annuam suscipere contentationem, vt Deo commodius vacent cura rerum temporalium liberæ.

X.

De disciplinę rigore ostendo in Societate.

Testabimur disciplinæ rigorem eijciendo à nobis quandocunq; videtur Societati, esto, sint cuiuscunq; conditionis, & status, senes, iuvenes, consumpserint ætatem et vires, morbo calculi, et alio quocunq;, postquam ingressi sunt Societatem affecti fuerint, causæ præter causas reservatas ob quas pollutione excepta licita erit dimissio, hæ erunt eiectionis, si devotas nostras et amicos Societati vtiles aut alias religiones dirigunt, aut parentibus indicant, sive illis à quibus impediuntur, ne ingrediantur Societatem. Si in resignatione bonorum erga consanguineos affectum offendunt, non dandum totum Societati, prius tamen tales per aliquot annos in Societate mortificentur. Fratres in officijs vilibus ponantur detineantur in scholis inferioribus, vt ibi doceant, altiora studia præcipuè quartus Theologiæ annus non concedatur. Capitula frequentius tempore mensæ dentur. Patres prohibeantur à Confessionibus excipiendis, arceantur à conversatione externorum accipiantur res charæ ex cubiculis, frequentes pœnitentiæ publicè assignentur, hinc erit facile progredi ad dimissionem. Si tales personæ notatæ in supra dictis vitijs conquerantur coram Provincialibus, non credatur facilè excusetur factum, dicatur teneri eos obedire superiori, vbicunque

que non est peccatum. Non sint scrupulosi in dimissione superiores, cum enim ordo noster gaudeat nomine Societatis et sociorum, non mirum Societati annexam esse dimissionem. Nam Societatis et Sociorum vincula facilius solvuntur, neq; sunt perpetua. Dimissio cœpit cum instituto Societatis, id evidenter ex eo patet, quia Societas habet vota simplicia pro Scholasticis Coadiutoribusq; formatis, quæ vota non habent mutuum contractum, ac si Societas habeat obligationem personas cum talibus votis in Societate retinendi semper, id enim nequaquam est, tantum enim obligatio cadit in voventem, non in Societatem, quæ potest cum talibus votis quoscunq; dimittere, quando et quacunq; de causa sibi videbitur. Licet autem in Societate alij faciant professionem quatuor votorum, alij trium votorum solennium more aliorum Monachorum, tamen et tales à Societate dimitti possunt.

XI.

Qualiter se vnanimiter præstabunt nostri cõtra dimissos.

Quoniam tales multum obesse possunt Societati, proinde obvietur his modis. Antequam è Societate dimittantur, promittat eiusque, rei testimonium relinquat, se de Societate nihil sinistrè dicturum. Præcludant aditum dimisso ad eos spirituales et seculares Dominos, quorum ipse aucupari posset gratiam, ibiq; habere locum. Dicantur malæ eius inclinationes, vitia, defectus, quos de se in manifestatione conscientiæ aliquando superioribus aperuerat, et iuxta quam in Societate dirigebatur, cedendo in hoc iuri hoc suo. Quod si erunt Domini nostris non addicti, per viros graves nobis addictos, curetur impediri favor, dimisso apud eum qui non est affectus nobis. Et si non potest induci ad evertendum animum,

mum, à dimiſſo ſaltem inducatur ad non favendum omni ex
parte. Scribantur per Collegia qui nam ſint dimiſſi et cum
exaggeratione cauſæ dimiſſionis proponantur, de dimiſſo in
exhortationibus, dicatur, quod iterum ardenter petat, ingredi
Societatem. E æternis inſinuentur cauſæ dimiſſionis, illæ ob
quas vulgus nos odio habet, ſic enim plauſibilior erit dimiſſio
quorumcunque. Si dimiſſus habeat creditum contra nos di-
cendo, obvietur huic rei per noſtros graues viros, qui dictis
dimiſſi opponant aut bonitatem Societatis, famam, fructum,
quem facit in Eccleſia Dei bonam exiſtimationem vitæ et
doctrinæ, ob quæ Regibus et Principibus Magnatibus ſunt
à confeſſionibus concionibuſque, explicent zelum noſtrum in
proximos, multos magis in vnum quemq; hominem Societatis
ſuæ. Invitentur ad prandia illi, apud quos dimiſſus videtur
habere partes, quibus perſuadendum eſt, ne faveant dimiſſo
et teneri eos præſumere de Religione quo tempore cauſas di-
miſſionis exponent, omnem eis probabilitatem oſtendendo &
defectus dimiſſi omnes enucleatè exponendo nihil omittendo,
eſto, dubia aliqua ſint, caveant dimiſſos promouere ad ulla
beneficia Eccleſiaſtica, niſi aut dederit non modicam pecu-
niam, aut ſua bona inſcripſerint, aut ſingulari modo teſtati
fuerint ſe eſſe amicos Societatis. Id etiam Principi et Regi
perſuadeant Confeſſarij ut collaturi alicui honores argumen-
tum accipiant, eius bonitatis ex liberalitate et bono affectu
eius in Societatem noſtram, fundando ei Collegium aut quid
ſimile ei præſtando. Si contingat dimiſſos habere favores ho-
minum, diligenter inquiratur in vitam ipſorum, & mores &
defectꝰ per amicos et devotas noſtras ordinis inferioris divul-
gant: Ipſæ ne dimiſſis faveant, aut apud ſe conſervēt dimiſſos,
terre-

terreantur censuris, negetur absolutio, si sint pertinaces. Laus dimissi extenuentur, argutis propositionibus, ambiguisque, ita tamen quod possint avertere animos hominum à dimisso et eius fidem minuere. Successus mali qui accidunt dimissis, evulgentur cum magna commiseratione in exhortatione, vt reliqui terreantur, et vel inviti maneant in Societate.

XII.

De delectu iuvenũ pro Societate modoq; eos retinendi.

Summâ arte et industriâ opus est, vt recipiantur iuvenes ingenij boni, formâ non contemnendâ, genere nobiles et opulenti, vt tales pertrahantur, ostendatur illis favor à Scholarum præfectis, non permittantur vexari à Præceptoribus laudentur crebrius, dentur ipsis munera, accipiantur ad vineam, tractentur fructibus in solennitatibus accipi possunt ad Refectorium. Cum alijs ad virgas descendendum, obijcienda crimina ex aliquibus coniecturis, iratus vultus ostendendus, acrius compellandi et reprehendendi iuvenilis ætas, ad omnia mala, quod sit in illis proclivis ostendatur, nisi religiosi fiant damnatione æterna terendi: Dum in Societatem admitti petunt, non statim admittantur, differantur ad tempus, interim foveantur, in colloquijs commendetur illis suaue institutum: Ita enim magno desiderio crescente alacrius instabunt admitti, et si voluerit postea exire aliquis ex talibus, revocetur illi ardens studium, quo ingressum in Societatem vrgebat. Quoniam vero maxima est difficultas, in alliciendis Senatorum filijs, et hominum ditiorum in Patria, si tales sint, mittantur Romam ad noviciatum, prius tamen præmoneatur de ipsis Generalis aut Provincialis Romanus. Quod si in Germaniam, Galliam, Italiam venerit et Societatem affectauerit,

ctaverit, sine scrupulo suscipiantur, in illis Dominijs in quibus Monarcha Societati est addictus: sub tali enim Domino hæc & similia erunt peragenda, siquidem illius subditi cum nostro favore indigeant, non facile contra nos insurgent, et si insurgant, nihil lucrabuntur. Non omittantur occasiones inducendi filios eorum, qui studiorum causa ad nostra Gymnasia ex alijs Provincijs veniunt, maximè tunc cùm incipiunt pecuniam amittere, & partim pudore amissæ pecuniæ, partim metu Parentum aut affinium ob molestias, quas timent, induci se sinunt; Res habuit bonum successum in Germanis & Polonis, inconstantiæ occurrendum pro qualitate Personæ, exhortationibus, de malo successu dimissorum, bonoq; vocationis, ut vero Parentes et Affines ingredientium ad nos sint contenti, ostendatur excellentia instituti nostri, et tantus applausus mundi et honor qui defertur à Principibus Societati. Insinuent se in intimam familiaritatem ipsorum, reddantq; eos contentos, si id necessitas et Personæ dignitas postulaverit.

XIII.

De monialibus.

Caveant offendere Moniales nostri Confessarij, cum tantæ sint benefactrices, ut aliquæ fundationem iuverint Collegiorum, plurimæ mediam dotem dederint annuente Monasterio et Abbatissa. Quare ob clausuram non eas molestent, relinquant Episcopis: Conservent potius favorem Monialium, ne contra nos agant ob dimidiatas dotes, easq; exprobrent nostris datas.

XIV.

De Casibus reseruatis & causis dimittendi à Societate.

Præter

Præter casus descriptos in instructione, à quibus solus superior absolvet, aut ordinarius Confessarius ex eius licentia hos casus videlicet Sodomiam, fornicationem, adulterium, stuprum, tactus impudicos, maris aut fœminæ, & si quis quacunq; ratione moliatur contra societatem qualicunq; zelo, sciant esse causas dimissionis à Societate, nec prius absolventur, quam prius extra confessionem promiserint, se id manifestaturos per se vel per confessarium. Superiori qui si advertet peccatum esse cum complice aut ingraue damnum Societatis, non absolvet, nisi pænitens promittat aut seipsum scripturum hac de re Generali, aut dederit facultatem scribendi confessario, aut superiori de tali causa, alias nullo modo absolvet pœnitentem. Generalis verò casu pœnitentis cognito re collata cum Secretario de casu pœnitentis, id concludit, quod pro Societate assignabit, quam si acceptare noluerit, nunquam validè poterit absolvi. Id faciendum conclusimus cum Theologis nostris in casibus reservatis et approbatione sedis Apostolicæ, frustra quibusdam repugnantibus. Taceat tamen Confessarius ob id dimittendum à Societate pœnitentem. Si dixerit de se pœnitens extra confessionem dimittatur, si dicere noluerit, servetur cum ipso illa ordinatio scripta contra fictos: Interim tam diu non absolvatur, quam diu noluerit dicere extra confessionem. Si aliqui ex confessarijs nostris audierint aliquam externam Personam cuiuscunq; sexus, cum homine Societatis rem turpem habuisse, non eam prius absolvent, quam dicat extra confessionem nostram, et si dixerit dimittatur noster extrema Persona absolvatur. Si duo è nostris Sodomiam committent, qui non manifestabit dimittatur, qui prior manifestabit, retineatur in Societate, sed ita mortificetur, ut velit nolit post parva

interiecta mora alium sequatur.

Poterit etiam Societas cum sit corpus quoddam his de causis se exonerare personis, si successu temporis eos deprehenderit esse crassos in moribus et loquela, imo quascunq; viderint superiores causas. Generali monito quemlibet à Societate dimittent, ut citius dimittantur vexentur, fiant omnia contra inclinationes eorum negentur quæ petit, esto res parvæ sint, arceantur à studijs maioribus, dentur sub tales superiores de quibus non sint contenti, nec tales teneantur in Societate, qui vexati insurgunt in superiorem, de eoq; coram fratribus conqueruntur, aut displicere sibi dicunt, quæ fiunt in Societate quo ad viduas et directionem Rerumpub. laudantq; Venetos à quibus pulsa Societas, immediatè ante dimissionem acritèr exagitetur dimittendus, amoveatur à certo officio et nunc ad hoc nunc ad illud officium obeundum mittatur interim reprehendatur, quod non benè faciat officium sibi commissum pro levi excessu duriores assignentur pœnitentiæ ex cathedra tempore mensæ defectus recitentur, ita ut confundantur, et per id tempus dum notabilem impatientiam ostenderit, alijs audientibus et videntibus, tanquam is qui est alijs scandalo dimittatur. Prius tamen res eius revideantur et aliquo iubeatur ire ad vineam, vel vicinum Collegium interim quo in loco minimè sperat, in eo dimittatur.

X V.

Qui conservari & foveri debent ex personis Societatis.

Primum locum tenent strenui operarij, qui non modo spirituale Societatis bonum sed et temporale promovent, ut sunt opulentarum viduarum Confessarij, qui dum ad decrepitam ætatem accedunt, amoveantur à viduis alij ipsis cum

 recentibus

recentibus viribus et ætate sufficiantur. His concedantur quæcunq; petent in cibo vestitu aliisq; rebus, nec vexentur à ministris pænitentijs, contra tales non sint creduli superiores. Habeatur et eorum ratio, qui defectus minimos in alijs notatos superiori deferunt aut positi in officio ministri Bedelli alios mortificare sciunt non ex affectu, sed amore disciplinæ religiosæ. Foveantur iuvenes illi qui sunt affines nostrorum benefactorum et fundatorum, quare mittendi ad studia Romam, si studeant in propria Provincia, concedantur illis ea quibus foveri possent. Fiat gratia illis etiam iuvenibus qui nondum resignationem bonorum fecerunt pro Societate, post factum pane non lacte pascendi. Nec ij postremum locum habeant, qui multos se lectos iuvenes ad Societatem inducunt, tanquam benè affecti instituto Societatis.

XVI.

De contemptu Divitiarum.

Ne nimium nobis affectum ascribant, divitiarum, iuvabit mediocres non admittere eleemosynas pro ordinarijs, officijs, quæ fiunt à nostris negentur sepulturæ viles in templis nostris. Cum viduis acrius agant, quæ se exhauserunt dando nostris idem faciendum cum Personis nostris, qui pro Societate fecerunt resignationem, imo quandoq; tales dimittantur, aut si nihil eis reddendo, aut saltem benè detrahendo ob sumptus à Societate eorum causa præstitos.

Hæc priuata Monita diligenter servent penes se superiores et paucis idq; gravibus ea Patribus communicent, ex ijsq; instruant alios quomodo serviant cum fructu Societati, neq; vt scripta ab altero, sed vt ex peculiari prudentia deprompta alijs communicent. Quod si absit in manus externo-

rum hæc monita veniant, quoniam sinistrè ea interpretabuntur, negentur hoc sensu esse Societatis per istos confirmando è nostris de quibus certò scitur eos talia ignorare. Opponantur his privatis monitis Generalia Monita et ordinationes impressæ aut scriptæ his privatis contrariæ, demum inquiretur, an non ab aliquo è nostris prodita sint (neque n. superior vllus eris tam negligens in asservandis tantis decretis Societatis) & si in aliquem vel leves erunt coniecturæ illi imputentur, et ex Societate dimittantur.

TESTIMONIA DE IESVITIS ITALORVM & Hispanorum quorundam. I.

Salvo iudicio summorum Pontificum, qui hoc institutum ignatistarum approbarunt. Voce communi de illis fertur, quod sint Patres, arte iniqua, fraude dolosa, dolo maligno. Præter consuetudinem et morem omnium Religiosorum post multos annos exactos in Societate Personas dimittunt. Fabius de Fabis hic Neapoli ex vno Collegio dimisit vndecim, quorum vnusquisq; multam exegerat ætatem in Societate, in Biondum concionatorem præstantissimum, ad quem audiendum tota confluebat Roma, eovsque deservitum est, vt pelleretur ex Societate. Quid duo illa lumina cicale Germani Fratres, professi 4. votorum, lectores Theologiæ, Pontifici Clementi VIII. gratissimi, oblatam ab ipso dignitatem cardinalatus reiecerunt, difficillimas legationes felicissimè expediverunt post mortem Clem: 8. in odium mortis Pontificis Clem. Generalis Claudius Verius Aqua cruenta quam Aqua Vua eos de Societate pepulit.

II.

Deus sit benedictus qui sedavit motus Venetorum cum

Paulo V. vel eo fructu, quod sua sanctitas vidit, quantum Iesuitis favere debeat, qui blanditijs et ementito zelo Religionis tantorum scandalorum extitere capita.

III.

Dolenda res est Iesuitas habuisse fautorem sui ordinis Gregorium 13. a quo Privilegia quæ volebant impetrabant. Ego de illorum valore dubito cum fuerint data in præiudicium ordinariorum et ad petitionem fœminarum, quæ ob antiquas consuetudines multum apud Pontificem illum poterant, et per easdem Iesuitæ sua obtinebant privilegia.

IIII.

De bonitate Iesuitarum difficile est aliquid affirmare, nam querelæ de ipsis quæ veniunt ex omnibus ferè Regnis et Provincijs convincunt eorum malitiam.

V.

Conversatione mea familiari didici quæ volebat ex me scire D. V. de votis scilicet et gradibus Iesuitarum. Vota illorum sunt duplicia solennia et simplicia, Hæc ligant voventem non Religionem vnde potest talem cum talibus votis quandocunq; vult Societas dimittere. Solennia vota alij faciunt 3. alij 4. videlicet eundi sine viatico in omnes orbis partes. Gradus 4. 1. Scholastici & coadiutores qui post Novitiatum faciunt vota. 2. Formati coadiutores, qui post eadem vota simplicia faciunt publica, nec illa renovant, ut faciunt Scholastici quibus in annum sua vota renouant. Et quidem si sint Sacerdotes vocantur Formati coadiutores Spirituales, illi sunt qui assiduè sunt in confessionibus audiendis pauperum et qui invisunt infirmos et in fimo iacentes. 3. Professi trium votorum sunt paucissimi. 4. sunt Professi

votorum,

4. vetorum, qui suas habent commoditates, quas volunt conversantur cum viduis, Principibus, sunt à confessionibus Monarcharum, demum qui Regimini Rerumpub. sunt intenti pecuniæ congerendæ et congregandæ sunt peritissimi. Talia tamen omnia vota sunt, ut sit penes Generalem Facultas cum talibus votis dimittendi a Societate, quæ certè gratissimum est, consumta ætate, rebus suis prospicere quando et valetuto et ætas sunt debilitata. Exurge Deus et corrige has fraudes, fieri n. nequit, ut non decipiantur multi iuvenes quos habent sub sua cura.

VI.

Mirum est Iesuitas funestas Historias de Religiosis, præcipuè Dominicanis, inserere inter curiosa sua scripta ut fecit DELRIO non alio fine, quam in odium eorundem, suæ vero Societatis sanctitatem commendandam: cum inter ipsos multa quæ accidunt mala astutè celant. Bernæ in Moravia sub Rectore Campano, quidam Iesuita qui quando volebat, sumebat ad suum cubiculum S. S. Sacramentum à Dæmone cum corpore raptus non amplius comparuit, multi post mortem apparendo se damnatos esse confitentur. Morituri maledicunt diei nativitatis suæ, quod Societatem ingressi fuissent. Adeò aut diuturnis inter se odijs dissident, ut in formando se invicem apud suum Generalem & Superiores vix morituri sibi condonant aut ablatam famam restituunt.

VII.

Venetorum Respub. eiectis Iesuitis pace domestica et externa cum S. S. Paulo V. perfruitur, hanc invident illis Germani magis autem Poloni, qui cum sint servi viliores

partim

partim amore privatæ commodi partim spe assequendi honores per Iesuitas, qui sunt penes Regem Iesuitarum Dominum patiuntur eorumq; concilijs, vt Rex administret Poloniam sui maximo odio permittunt. Qui favor Dominorum in Iesuitas si non aversionem, facit tamen dissidia perpetua Reipub.

VIII.

Ex quo tempore Religiosi ordines exorti sunt in Ecclesia Dei nulla vnquam Religio tanta sibi vendicavit quanta vendicat sibi Societas Iesu, vt Monarchas regant, Dominos in subditos incitent, viduas custodiant, ad vota inducant, bona ipsorum recipiendo, affines eorum hæreditaria successione privent, blandiendo ipsis magnam eis vivendi licentiam concedunt, matrimonia dissuadent, vt liberius libidinibus cum eisdem indulgeant.

IX.

Non possum stultiloquos ferre defensore Iesuitarum. Nam prætendendo quod fecerint aliquem in Ecclesia fructum excusant eorum scelera et facta odiosa, quæ enim consequentia fidem auxerunt Catholicam, ergo debent regere Respub. ergo recipere et pertrahere ad se iuvenes nobiles, eosdemq; quando placet eijcere avidius emungere et ementiri pecuniam. Certè Deus vineæ agricola, si non per illos providisset, sed audiunt confessiones frequenter, certè audeo dicere. Qui Iesuitis confitentur alij sunt ambitiosi et simoniaci, aut avari, aut subdoli, dolisq; malis quidpiam in illa Repub. vbi Iesuitarum extat regimen assequi volunt.

Ex Polonis.

Bernardi Macieiovij Cardin: S. R. E. Archiepiscopo Gnesne: ad Principem Venetiarum.

Si

I.

Si iudicium meum de Iesuitis Illust: M. V. expetit refugio: de me dico, pœnitet me Iesuitarum fuisse fautorem adverti enim et meo malo et Reipub. multa illi infælicia evenisse, quæ nunquam sensisset, si Sereniss: noster Sigismundus, Senatorum Regni Iesuitarum sententias in regimine Reipub: amplexus fuisset. Eiusd. ad Legatũ II.

Habent Privilegia Iesuitæ quib⁹ Episcop⁹ iurisdictione superant, id vtinam in Dei bonorem cedat. Ego quantum videre possum, privilegia ipsorum tendunt in libertatem peccandi et contemtum cleri, his n. reiectis confugiunt ad Iesuitas, qui dum eos facilè absolvunt à casibus reservatis, ordinario et peccatis viscosis, multiplicant Pseudopliticos, Catholicos solidæ pietatis et solidæ timoratæq; conscientiæ Catholicorum minuunt numerum.

Georgij Radzi: S. R. E. Car. Episc: Crac. S. III.

Mirum est quam suaviter Iesuitæ animos hominum subintrent blandiuntur alacriter, pungunt acriter spiritualibus verbis cor vngunt, sed pecuniam fortiter emungunt. Iesuitas mea experientia suadeo nemo habeat sibi nimium familiares, si Episcopi suam conservare authoritatem volunt nihil per eos sed per se cum suis prælatis, quæ spectant ad Clerum et Diæcesis gubernationem peragant.

Petri Miszkowsky Episc: Crac. ad Xestum V. IV.

In Synodo provinciali nuper celebrato promovente Episcopo Cuiauiensi res Iesuitarum multa illis concessa, quæ Religiosos quosvis insolescere faceret, Tuæ sanctitati erit visis statutis eadem confirmare aut improbare. Ego ut veritatis vtar stilo vocationem intuendo Iesuitarum, timeo ne Tem-

d piarÿs

plarijs sint similes qui plausibilibus modis procurantes ornatum et ordinem Ecclesiarum in tantam potentiam excreverunt, vt Regibus fuissent graves, nam qua ratione movere possunt. Reges contra subditos faciliori subditos contra Regē. Vtinam false dicam Iesuitas esse subtile malum pietatis studijs in orthodoxos salutare quid prætendere eventu extremo, quo nescio velim non ruina aut tumultu perpetuo Reipub.

Demetrij Sulckovij Archiepiscopi Leopol. V.

Jesuitæ scriptis contra Hæreticos sunt strenui milites, custodes Romanæ fidei, conversatione cum principibus sunt malorum fabricatores, cum viduis sanguisugæ pecuniarum, cum pueris in scholis deceptores, solidè artes non edocendo, et ad se boni ingenij pueros allegando. Eiusd. VI.

Scholæ Iesuitarum Reipub. Christianæ aliquem adferunt fructum Iesuitis maximum, nam pro se meliora ingenia deligendo Patres familiam & patriam hoc bono privant, quo magis exornare potuissent et se et suos pessimum vero quia blandè deceptos, iterum à se eijciunt quibus difficilis sit ad altas præclaturas aditus et ob ipsorum dimissorum fessas vires aut Sere. Regis auersionem animi persuasione Iesuitarum ne illis faveat quos a se Iesuitæ eiecerant. VII.

Mihi certè persuadere volebant, ne providerem vni ab illis dimisso meæ Diæcesis, et querenti mihi rationem, cur in tantum in eum deservient, responderunt, ut tædio victus ob malum suum successum angulum alij quem quærat, neq; sit in oculis nostris, aut successu fausto rerum suarum alios ad imitationem sui pertrahat de nostra Societate. VIII.

Obedientiam se præstare summis Pontificib⁹ mentiuntur Iesuitæ: Juli⁹ IV. *et Pius* V. *Bullis suis præceperunt, ut omnes*

Sacerdo-

Sacerdotes Societatis Ignationæ fierent trium votorum professi, qui non possent esse quatuor votorum. Contrarium auditur, vix in una provincia tres extare, aut vnum professum trium votorum plurimos Sacerdotes esse tantum trium votorum simplicium, ut facilius expediantur à Societate.

X.

Scio librum edendum in lucem, in quo fraudulentum describitur institutum Iesuitarum: Dixerim ego tyrannicum, nam penes generalē unum tota est potestas statuendi, et irritandi, quicquid vult in Societate omnib⁹ frustra reclamantibus, et uni homini tantum attribuere quantum sibi ex Christi privilegio in rebus tantum fidei vendicat Christi vicarius. Exprobravi id ego mihi familiari Iesuitæ qui mihi respondit: solum Claudium Aquavivam ad sibi attribuisse, ideoq; multos etiam professos ex Hispanis eiecisse qui cum ea iurisdictione volebant in Hispania habere provincialem cum qua dabatur tempore Ignatij.

X.

Jesuitæ frustra mitigant sinistros sermones hominum de se falsis historijs pessimè illis accidisse narrando, qui de illis aliter, quam ipsi velint, sentiunt. Xistum verò ideò citò mortuum fuisse aiunt, quod se cucullos flavos inducere iussissent. Clem: 8. eâ horâ mortuum, quâ volebat approbare sententiam Dominicanorum de gratia. Nepotem ei⁹ Petrum multis morbis tabescere. Paulo 5. ideo mortuum Nepotem, quod non statim ad primam petitionem Canonizasset Ignatium.

Prosa in laudem Iesuitarum.

OPulentas semper quærunt Iesuitæ Civitates,
Quia volunt habere immunitates.
Piam adventus sui in regna promunt rationem
Quia totius Reipub. affectant gubernationem

Confessarii

Confessarii & Concionatores curant esse Regum Principumq; virorum
Vt sint dispensatores Reipub. bonorum.
Prædicando paupertatem pecunia non possunt saturari,
Quam vxores apud maritos iubent furari
Hoc furtum compellant lucr .m de u.. ris dote,
Sic furando fœminę maritos manent ā scrupulis semotę
Divitibus viduis persuadent facere religiosa vota
Quantum hinc ditescant Iesuitæ, Lector nota,
Non cessant Iesum proponere nudum bonis spoliatum,
Donec sibi videant à viduis thesaurum oblatum.
Divitum Confessarii student esse fœminarum,
Vt sint participes monetarum
In Confessionibus indagandi pollent vena
Quid lateat non tàm inconscientia, quàm in camera vel crumenę
Eunt frequenter divites salutatum,
Ex piscando quid sit pro se ex pecunia paratum
Ad confessiones si eos vocant incarcerati
Dicunt, condonate filioli, sumus occupati.
Occupant bona Capituli & fundationes altarium;
Denegatum est hoc illis à Venetiis Dominis marium
Ius patronatus possident ad multas Parechias,
Quid moraris si Iesuitæ Regunt Reges & Monarchias.
Querela de ipsis quia decipiunt opificem (ficer
Quid mirum si ad bellum contra Venetos concitarunt Paulum V. Pon
Non habent sui ordinis certum habitum
Vt ad decipiendum homines & fœminas maximè habeant facilè adi
Plus boni fecerunt faciuntq; in Ecclesia Dominicani & Francisci,
Non tamen ideo sunt iactabundi & vani.
Nec propter fructum à se factum vixerunt Reges,
Quid diligentius sui Ordinis servarunt leges.
Facta à se Iesuitæ licet parva amplificant,
Vnde animus hominum mentiendo falsificant.

Turnacii Anno MDCXII.